

DEi, sequitur, quod vel ut *persona* assumpta, vel ut *sola natura*, non ut *Persona*, quia *Sociniani* ipsi tanquam absurdum rejiciunt, duas in Christo personas esse: manet igitur, quod ut *natura* sit assumpta, nim. ut ita personaliter in λόγῳ subsisteret, quia sine *subsistentia* vel *propria*, vel *communicata* subsistere non potest: propriam non habet, ergo *communicata* gaudet. (3) *Ex attributo*, quia Filio hominis prædicata personalia Filii Dei tribuuntur, e. g. *Luc. I, 35. Angelus* inquit: *Quod nascetur sanctum Filius Dei appellabitur.* Sic *v. 31. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum, hic (filius Dei, verus homo) erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* Sic Christus interrogans Apostolos quem ipsimet statuerent *Filium hominis* esse: Responsum accepit *Matth. XVI, 16. Tu (Fili hominis) es Filius Dei vivi.* Et in quamplurimis locis eadem, aut similia legimus. Ex quibus apparet, Christum non *humanam*, sed *vere divinam personam* semper extitisse.

9. (4) *Quod Christus sit persona composita*: ubi tamen observandum, quod ne utquam dicatur *persona σύνθετος* (1) ἀπλῶς vel *absolute*, sed tantum *συγκειμένως composita*, quoad statum ἔργῳ ante incarnationem. (2) non κοινῶς & communiter, quatenus vulgares *compositionum modi* solent compositum quid indicare: sed μονοτρόπως & singulariter, quia conjunctio personalis omnes *vulgares compositionum modos* eminentissime transcendit. Est enim *persona Christi σύνθετος* non compositum aliquod *vulgare*, sed *singulare*, non *naturale*, sed *supernaturale*, non *Philosophicum*, sed *Theologicum*, non *physicum*, sed *mysticum*, quia maximum in eodem latet *mysterium I. Tim. III, 16.* (3) non *formaliter*, respectu *compositionis alicujus proprie sic dictæ*, sed *materialiter* respectu *unionis personaliter acceptæ*; siquidem hæc *compositio* non fit ex *pluribus partibus* proprie sic dictis, nec ex *pluribus imperfectis* (cum *persona ἔργῳ* proprie loquendo *pars* esse non possit, nec *imperfecti* rationem admittere norit), sed tantum ex *pluribus distinctis* constare dicitur. (4) *nō mutabiliter*, quasi *persona ἔργῳ*, per *unionem, mutationem, vel alterationem* aliquam aut *simplicitatis* suæ *jaçturam* passa fuerit, sed *eminenter*, quod *hypostasis τῷ λόγῳ* facta *duarum naturarum* sit, quæ solius antea *divinæ*

vinæ